



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

43. Iordanvs Beneficiarius etiamsi breuiarium omittat vno die, quia tamen supplet altero, excusatur à restitutione fructuum illius diei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

XLIII. *Iordanus Beneficiatus frequenter omittit Breuiarium, nec tamen restituit fructus illorum dierum, eo quod omissionem unius diei suppleat alio die, bis Breuiarium dicendo. Quæritur. Vtrum idcirco à restitutione excusetur?*

Videtur non excusari. Ita Henriq. *L. 3. cap. 17. Bonac. de Horis Canon. D. 1. Q. 5. p. 2. n. 5. alij.* Quia onus illius diei est affixum prædicto diei, & transit cum die, adeoque trahet etiam secum obligationem restitutionis.

Resp. Iordanum excusari. Ita Maior. Paludanus, Ledesma apud Henriq. *loc. cit.* Filiuc. *Tr. 23. c. 10. n. 307.* & alij. Tum quia alio die recitans Breuiarium omissum rependit æquale. Tum quia etiam, qui certo die tenetur legere Sacrum, non tenetur quidquam restituere, si alio die sacrificet.

Ad rationem in oppositum dicimus, onus illius diei esse quidem affixum diei, & transire cum die quoad culpam, non verò quoad pœnam Ecclesiasticam adiectam; hæc enim tam diu suspensa manet, donec sequenti tempore omissio in æquali compensetur. Vnde culpa & pœna non semper se comitantur; id quod Henriq. ipse concedere debet excusans *v. 29. comp. n. 30.* Beneficiatum ab omni fructuum restitutione, si per annum octies v. g. omitat Breuiarium, quo in casu eundem utique non excusabit à culpâ.

XLIV. *Irenæus contra homines æquè ac iumenta*